DEVOTIO AD BEATUM CAROLUM ACUTIS

Redemptórem mundi, Dóminum nostrum Jesum Christum, cum omni supplicatióne rogémus; ut per grátiam ipsíus, et per intercessiónem Sanctæ Maríæ Vírginis et Genitrícis suæ, et beáti Confessóris sui Caróli, nobis salútem ánimæ et córporis, et remissiónem peccatórum, et pacem propítius donáre dignétur. ℟. Præsta ætérne omnípotens Deus. Kýrie, eléïson. ℟. Christe, eléïson. Kýrie, eléïson.†

> Deus Dei Fílius, quem ille Conféssor tuus Carólus in toto corde conféssus, nomen tuum honorificándo, perdúctus est ad corónam; da in ore nostro confessiónem, quæ expúrget a crímine: ut quicquid in tuæ laudis honóre deprómimus, in lucro nobis prodésse ætérni múneris sentiámus. ℟. Amen.
> Per misericórdiam tuam, Deus noster, qui es benedíctus, et vivis, et ómnia regis in sæcula sæculórum. ℟. Amen. †

Exémplis ac méritis beáti Confessóris sui Caróli institúti, ætérno Regi ac Patri Deo preces, fratres charíssimi, cum omni humilitáte fundámus: ut sicut illum pro nostræ eruditiónis exémplo, diversárum colluctatiónum fecit exémpla subíre; ita intercedéndi pro nobis apud pietátis suæ cleméntiam ei tríbuat pleníssimam facultátem. ℟. Amen. †

> Deus, qui beatíssimi Caróli confessiónem accéptans, ita ómnia verba oris ejus pleníssime exaudísti, ut partícipem eum efficeres regni tui, quo in conspéctu Angelórum tibi psálleret; áccipe nunc per eum confessiónis nostræ votum, qui illum produxísti ad præmium: et qui illum per confessiónem voluísti esse beátum, nos post lapsum in hoc mundo, demum ad ætérnam coronándos pértrahas pátriam. ℟. Amen.
> Per misericórdiam tuam, Deus noster, qui es benedíctus, et vivis, et ómnia regis in sæcula sæculórum. ℟. Amen. †

℟. Beáte Caróle Christi Conféssor, audi rogántes sérvulos, * Et impetrátam nobis cœlitus tu defer indulgéntiam.
℣. O beáte Caróle, sidus áureum Dómini grátia, servórum gémitus sólita súscipe cleméntia. * Et impetrátam nobis cœlitus tu defer indulgéntiam.
Glória et honor Patri, et Fílio, et Spirítui sancto. * Et impetrátam nobis cœlitus tu defer indulgéntiam.‡

> Adésto, Dómine, supplicatiónibus nostris, quas in beáti Caróli Confessóris tui commemoratióne deférimus: ut qui nostræ justítiæ fidúciam non habémus: ejus, qui tibi plácuit, précibus adjuvémur. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen. ‡

> Intercéssio nos, quæsumus Dómine, beáti Caróli comméndet: ut quod nostris méritis non valémus, ejus patrocínio assequámur. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen. ‡

℟. Iste est de sublímibus cœlórum præpoténtibus unus, quem manus Dómini præelégit et consecrávit sibi: * Hujus nos méritis adjuvári súpplices depóscimus.
℣. Iste est qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et de omni corde laudávit Dóminum. * Hujus nos méritis adjuvári súpplices depóscimus.
Glória et honor Patri, et Fílio, et Spirítui sancto. * Hujus nos méritis adjuvári súpplices depóscimus.††

Annotationes:

† Ex Breviario Gothico (etiam doxologia minor in responsoribus more Gothico)
‡ Ex Breviario Ordinis Fratrum B. V. M de Monte Carmelo
†† Ex antiquo officio incognito